

Johann Heinrich Becker

**Programma Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Io. Henricvs Becker, Phil. Et
S. Theol. D. ... Sacra Natalia Dvlciissimi Nostri Servatoris Ac Redemtoris Indicit,
Vtqve Illa Pio Pectore, Et Devoto Cvltv Digne Celebrentvr, Praemissa Ventilatione
Qvaestionis: Vtra, De Immediata Creatione, An De Tradvctione Animae Christi In
Ipso Conceptionis Momento, Sententia Theologice Sit Praeferenda? Cives
Academicos Pro Officii Ratione, Serio Monet Et Hortatvr**

Rostochii: Typis, Ioh. Iac. Adleri, [1741?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030282>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1741. Weihn.

M. 1258. 265.

W. 1741.

PROGRAMMA
RECTOR ACADEMIAE
ROSTOCHIENSIS,
IO. HENRICVS Becker,
PHIL. ET S. THEOL. D. MORAL. PROF. PVBL. ORD.
AD D. NICOL. ECCLESIASTES,
SACRA NATALIA
DVLCISSIMI NOSTRI SERVVA
TORIS AC REDEMTORIS INDOCT
ILLA PIO PECTORE, ET DEVOTO CYLTV
DIGNE CELEBRENTVR,
PRAEMISSA VENTILATIONE
QVAESTIONIS:
VTRA, DE IMMEDIATA CREA
TIONE, AN DE TRADVCTIONE ANIMAE
CHRISTI IN IPSO CONCEPTIONIS MO
MENTO, SENTENTIA THEOLOGICE
SIT PRAEFERENDA?


CIVES ACADEMICOS
PRO OFFICII RATIONE, SERIO
MONET ET HORTATVR,

ROSTOCHII,
TYPIS, IOH. IAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC.
ET ACAD. TYPOGRAPHI.

M. 1256 265



voD Deus, fons amoris, imo, ipse amor, a mundi primordiis toties sancte promisit; quod fideles V. T. tandem sperarunt & audie exspectarunt; quod ratio sibi relieta nulla capere vñquam, aut credere potuit; quod cohors infernalis anxie semper suspicata vehementer timuit; quod denique genus humanum misere depresso vnice sponspitauit & restituit; id vero, Ciues Optimi! ille tandem dies, a quo aeram Christ anam numeramus, computamus, tandem feliciter exhibuit. Ante XVII Secula & prope dimidium illud auspicato euenit, cuius piani hodie memoriam deuoto pectori renouamus. Nimirum IESUS natus est, Immanuel noster, Rex & Seruator! DEUS manifestatus in carne! Verbum caro factum! Gloria in excelsis DEo, pax in terris, & hominibus benepacitum: Ita chorus Angelorum huic diei adplaudit, summum in coelis Numen laudibus collit, nobisque terricolis laetus gratulatur. Utinam hoc beneficium diuinum, hoc sine pari Mysterium, cuius contemplationi hoc Festum con-

consecratum est , pia mente potius & simplicis fidei sanctitate prosequeremur , quam curiosius eius rationem scrutaremur ! Utinam in littera Scripturae adquiescentes , grati potius & obstrictissimi animi documenta Seruatori nostro exhibenda quam tricas inutilium , & neque ad fidem , neque ad pietatem facientium quaestionum meditaremur ! Superat enim id , quod hoc Festo in Ecclesia docetur , omnem humanam sapientiam eludit omnem mentis humanae aciem , fugit omnem iudicii humani perspicaciam , nec ad naturae & rationis trutinam , quod vires , methodumque naturae longe excedit , expendi potest . At ille semper mos fuit hominum , vt non tam fidei simplicitate , quam vana sciendi & rimandi abdita cupiditate sibi placuerint . Vnde mysteriorum abyssos explorantes , nimisque ingenio fidentes id agunt , vt aut in fidem & Scripturae litteram iniurii , erroribus facile imbuantur maxime nocuis , aut ultra fidem & Scripturae litteram sapientes , veritatum diuinarum , mysteriorumque sensum reddant lubricum , dubium atque perplexum .

Si vlo vnquam , certe hoc seculo , ita frequenter peccatur . Nonnullis enim philosophicis principiis ac hypothesibus tantum hodie auctoritatis tribuitur , vt Scripturae effata ad horum veluti normam exigere pauci sane vereantur . Saltem , vbi clara littera Scripturae rem non satis aperte exprimit , ex hypotheseos amore quiduis pronunciare licitum putatur , quidquid demum fiat de sententia in Ecclesia pie recepta , deque analogia fidei . Sanctissima itaque de incarnatione Filii DEi doctrina antiquis iam , & his nouissimis temporibus idem fatum est experta . Nimurum , cum sufficeret , pia simplicitate credere & fateri : Secundam Deitatis personam humanam naturam in utero beatae Mariae Virginis , vt noster mediator fieret , vere proprieque adsumisse , ita , vt ὁ λόγος homo factus , non minus animam humanam , quam corpus humanum adscierit , & miraculo modo e Virgine , vt semen mulieris , natus , unus sit θεοντρόος : curiosius tamen , ac par erat , variae multae , ac dubiae omnino solutionis moueri coeperunt quaestiones , quae passim ad scandala , dissidia & haereses in Ecclesia cienda abierunt . Hoc dico :

A 2

quae-

quiescitum fuit de origine humanae naturae CHRISTI , unde , & quo modo fabricatum fuerit corpus Christi ? unde , & quando extiterit anima eius ? Quibus certe quaestionibus , aequa ac illa : *an a labe peccati originis humana CHRISTI natura per praeseruationem , an per purificationem sit immunis facta ?* carere nos potuisse , cum Theologo Tübingeri CHRIST. EBERH. WEISMANNO , in *Instit. Theol. Exeg. Dogmat.* p. 616. quiuis cordatus facile iudicauerit.

De ortu corporis & animae CHristi , quot & quam passim portentosae obtinuerint opinione s , ex historia ecclesiastica hic repetere , prolixum nimis foret. Memorandum secus esset , quid ARIVS , quid VALENTINIANI , quid ORIGENES , quid Iudaei Cabba'istae , & quid postea HENRICVS MORVS , CHRISTOPHORVS SANDIVS , IOSEPHVS GLANDVILL , GEORGIVS RVST , GVILIELMVS POSTELLVS , EDVARDVS FOVVLER , IO. GVIL. PETERSENIVS in *Mysterio primo- geniti omnium creaturarum* , PETRVS POIRET . Tom. IV. Oecon. div. c. XVI. quidque tandem recentissime. Auctor anonymus dissertationis criticae , Londini 1739. euulgatae , a f. R. Dn. D. WALCHIO in *Dissert. Histor. Theolog. de praeexistencia animae Christi* , auctore anonymo Gallo , castigatae , nugati fuerint. Verum opinione s & commenta horum percensere , ab his cancellis est & a praefente instituto meo alienum. Ad ea potius accedo , quae his nostris diebus de origine humanitatis CHristi disputantur. Nota est recentissima , de hominum genesis ex animalculis seminalibus , hypothesis , superstructa obseruationibus per microscopia institutis a LEVVENHOECKIO , HARTSOEKERO , HOMBERG.O , SCHVVAMMERDAM , NIEVVVENTYDT , aliisque , quibus tam in obseruationibus , quam in hypothesi accesserunt Ill. LEIBNITZIVS , VVOLFIVSque , & e Theologis nuperime datus doctissimus Dn. IO. GVSTAV. REINBECKIVS. Meam de hac hypothesi tententiam , vt hic exponam , locus non est. Hoc autem fateor , circa illam , quamvis probabilitate non destituant omni , hodieque plerisque eruditis se mire insinuet , dubia mihi esse satis multa & sonica , difficultatesque in ipsa re , & in

in his, quae ex illa theologicē quoque consideranda veniunt, prorsum inextricabiles. Mihi saltem, quae ad explanandas illas, sedulo adferuntur, non sufficiunt, nec sufficient, quod puto, aliis. Hypotheseos interim modo dictae eiusque historiae ignaro commendari potest, ut legat paulo ante REINBECKIVM demortui IO. FRID. BERTRAMI Bescheidene Prüfung der Meinung von der praeexistenz oder dem vorher-seyn menschlicher Seelen in organischen Leibern; cui tractatui contra REINBECKIVM potissimum euulgato, subiuncta est *Historia Literaria Praeexistentialium. Bremae 1741.* Videtur Dn. BERTRAM obseruationes ipsas de animalculis spermaticis in dubium vocare, in quo tamen illum errare, monendum est. Hoc autem recentes Philosophi, supra dictis obseruationibus microscopicis inducti, de origine hominum docent: quod Deus in rerum initio & sub primi hominis creatione, creaverit simul omnes animas hominum, quotquot usque ad mundi interitum viuent, hasque animas incluserit subtilissimis corporibus organicis, futurorum corporum staminibus, sic, ut animae in corpusculis organicis simul extiterint in Adamo primo nostro parente, donec suo tempore per congressum maritalem in uterum maternum deportentur, & per nativitatem in lucem edantur. Plura hac de re hic dicenda non sunt. Et quae specialius in hac hypothesi occurunt, & quaeri solent, iam praetereo. Illud tamen monendum est, sententiae huius amatores sibi ipsis passim contradicere. Mox enim tradunt, animalcula seminalia, ceu materiam pan-spermaticam undiqueque per aera volitare, in cibo & potu assumi, ex uno subiecto in alterum, longo saepius itinere, migrare; mox statuunt, illa diuersi sexus existentia, sui similia coeundo progignere in semine virili, & quae non alia. Verum transcant haec, quae per nimiam meditandi et praesumendi subtilitatem, omnem fete perdunt probabilitatem.

Interim quaeritur, quid de origine humanitatis CHRISTI sit statuendum? num forte, ad modō recensitae hypotheseos tenorem, Christi quoque anima in corpusculo organico ab initio praeexistit, cumque animabus omnium aliorum hominum in Adamo animatur?

maleolum seminale iam fuerit? Nemo est, qui, quam molestae consequentiae & quam spinosae iterum quaestiones, quas breuitatis ergo non tangam, ex adfirmata hac quaestione fluere deberent, facile non perspexerit. Quapropter, qui Theologiae volunt rationem habere, dictae, de praexistentia & simultanea creatione animarum humanaarum, hypotheseos patroni, eo induiti sunt, ut CHRISTUM a communi originis humanae regula exciperent. Qua de re supra existens D. WEISMANNUS, l.c. p. 616. Bene, ait factum, quod recentiores quidam sommum sui systematis de praexistentia animarum simultanea ad doctrinam de anima Christi extendere non ausi sunt: Sed eam non altero eiusdem commento polluere debuissent, unionem corporis & animae in Christo per harmoniam praestabilitam exponendo. Pudet eos huius audacie, qui - - - eam venerabili huic doctrinae infarcire non verentur. Intricatae igitur, de origine humanitatis Christi, quaestioni lucem nuperrime voluit adferre doctissimus Vir, e scriptis suis philosophicis & theologicis famigeratissimus M. IACOBVS CARPOVIVS, Gymnasi Vinariensis Rector meritorius Edidit enim post *Psychologiae Sacratissimae*, de anima Christi hominis in spectata, Partem primam, quae lucem adspexit 1738. Partem alteram 1740. De neganda animae Christi praexistentia. Hanc secuta est hoc anno 1741. *Disquisitio de stamine humanitatis Christi*, cuius iterum secunda pars hoc anno ultimis nundinis Lips. in publicum prodiit, mihi autem nondum visa. Quod de Corporis Christi origine docet in *disquisitione de stamine* H. C. P. I. p. 38. seqq. 46. seqq. 56. seqq. calculum meretur doctorum, & ad hanc sententiam redit, quod Deus per superuentionem miraculosam Spiritus sancti, limpidam & fluidam materiam in ouulo aliquo B. Virginis Mariae reperiundam, tanquam materiam ex qua, per suam omnipotentiam & creatricem facultatem ita trahauerit, ut ex illa construxerit immediate stamina, filamenta ac rudimenta sanctissimi corporis Christi, detuleritque ad utrum castae virginis, ut ibi, modo naturaliter consueto, nutritur & ad iustum usque cresceret maturitatem. Quod si supponimus, recte & certe satis observare potuisse aut observasse Anatomicos, in ovulo foemineo, ante impraegnationem nihil

sta.

staminis latere , sed contineri in illo duntaxat materiam nude fluidam , quam primæ fcerus concepti nutritioni destinatam pu- tant , fatemur , Dn. CARPOVII de formatione staminis corpo- ris Christi , miraculose & per facultatem DEI creatricem facta , ide- am probabilem admodum esse , & non collidere cum sententia Theologorum communi , explicare potius sensum phraseologiae , qua dixerunt : DEum guttulas quasdam sanguinis Mariae ita effor- masse , ut Corporis CHristi initia inde processerint . Hac quoque ratione corpus CHristi vere e substantia Marie ortum est , illaque non ex nutritione & gestatione filii sanctissimi solum , verum etiam , quia ex aliqua corporis eius particula is suum corpus humanum ac- cepit , verissimo sensu Mater CHristi , & CHristus respectu corporis sui , semen mulieris vocatur . Bene quoque in excitata Disquisit. Dn. CAR- POVIVS diluit dubia & quae ipsi opposita in hoc momento erant , a Lipsiensibus in den zuverlässigen Nachrichten P. II. p. 124. & a non nomine in dem Oberlausitzischen Beytrag der Galahrts- heit 33. St. vid. Disquisit. de stamine hum. CHristi P. I. p. 46. seqq. In his ergo , quin causam suam bene & solide perorauerit Dn. CARPOVIVS , nemo facile dubitabit . Hoc interim dissimulan- dum non est , de firmitate suarum conclusionum persuasum nimis esse virum doctissimum ; quum tamen ad insignem probabilitatis duntaxat gradum , non ad infallibilem certitudinem abstrusissi- mum illud & miraculosum , de cuius modo Scriptura simpliciter si- let , productionis corporis CHristi negotium deduxerit . Non decet hominem christianum , seposita quasi , quam gloriosissimo Numini debet , demississima reverentia , ita pronunciare : Si DE- us hoc vel illo modo egisset , sine ratione egisset ! nec firmum & cum piorum hominum experientia , Scripturaeque exemplis conciliandum est adsertum : quod DEus pro sua sapientia brevissi- mam operandi viam longioribus praeferre debeat . Et quis quæso , quaenam brevior DEO via fit , quae longior , cognoscere audebit , aut determinare ? Possunt nostræ rationis adoptata aliquando prin- cipia , possunt magis inde factae adplicationes , subsumptiones , con- clusiones , inductiones vehementer errare , nosque ipsos frustra-

xi.

ri. Ergo in divinis earum nulla debet esse temeraria praesumtio: Doctius & rectius silemus, quam pronunciamus, ubi sicut scriptura, nobisque ultra coniecurandi libertatem, nullam aliam relinquit.

Sed quod hujus scriptiorum potissimum caput est, iam tangentium erit. Nimirum tres sunt modi possibles originis animae Christi; *aut* enim illa praeeexistit sive ante mundum sive sub creatione primi hominis, & quod volunt quidam, sub creatione integri complexus spirituum, *aut* illa traducta est ab anima Mariae, *aut* immediate creata est a DEO, in ipso conceptionis Christi hominis in utero materno momento. Penultimum semper creditum fuit a patribus plerisque primae Ecclesiae, defensumque fuit ab orthodoxis theologis remotioris & recentioris aevi, si quosdam excepteris, qui rem se ignorare fassi sunt, & illam de origine animae Christi, sicut & illam: de origine omnium animarum humanarum questionem, cum de utraque Scriptura fileat, in medio reliquerunt. Inter hos sunt CHEMNITIUS, WIGANDVS, BALDVINVVS, AFFELMANNVS, MVSÆVS, BAIERVVS, BVDDEVS, aliqui adhuc florentes Theologi. Ultimum vero, quod nempe anima Christi immediate, & ex nihilo a DEO creata sit in ipso conceptionis sive humanitatis momento, supra laudatus Dn. M. CARPOVIVS non ornat solum, sed & probatum, imo demonstratum dedisse putat, in excitatis suis Disquisitionibus nouissimis vid. *Psychol. Sacratiss. P. I.*, p. 57. seqq. p. 60. 61. *Schol. 3. Disquis. de stamine H. C. praef.* p. 10. in Tractatione p. 36. &c. Censuram & hic meretr, quod in themate, cuius tantus est cum analogia fidei, soteticisque multis veritatibus diuinis nexus; in quaestione, de qua, cum nihil decidat scripturæ littera, apodictice quoque nihil doceri poterat, sed probabiliter solum; suis tamen cogitatis & ratiociniis quandam infallibilitatem tribuere non vereatur In *Commentatione enim de anima Christi Hominis, in spectata p. 59. §. 100.* de traductione animae Christi loquens, eamque confutans, vbi de alterutra, ex hac hypothesi, eligenda sententia videlicet de purificatione eius vel ante, vel post traductionem facta differit, ita pergit: *In utroque casu*

casu, quod uno miraculo, scilicet animam Christi sine omni peccati adhaerentis labe ex nihilo creando, poterat fieri, Deus effectus duobus. - Si vero Deus, quod uno poterat miraculo fieri, effectus duobus, fecit miraculum sine ratione, cum non possit tamen quidquam velle sine ratione, neque hinc facere. Non igitur anima Christi ex anima Mariae traducta dicenda est. Et ibid. p. 58. Schol. ad §. 99 vel absolute diuinae omnipotentiae impossibile esse pronuntiat, animam Christi ab anima Mariae esse traductam, quam id repugnantiam inuoluat. Potentiae vero diuinae obiecta esse tantum possibilia. Bone Deus! quanta de ratione propria persuasio! quam prompta disceptationum de maximi momenti veritatibus discussio! quam temeraria omnipotentiae diuinae limitatio! contra *Luc. I. 37. Ier. XXXII. 27.*

Verum, audiamus, quibusnam ad retundendani de traductione animae CHRISTI ab anima Mariae, fulciendamque suam, de immediata creatione animae Christi sententiam, argumentis vtatur Dn. CARPOVIVS. Praetermittendum duco quod de possibilitate istius creationis ex nihilo, pro omnipotentia DEI, docet *Psychol. Sacrat. P. I. p. 57. §. 98.* Possibilitatem enim quis illi negauerit? Nec adlego probabilitatem, quam ibid. §. 101. inde adserit, quod per creationem anima Christi ab omni labore peccati immunis e manu DEI egrediens, optime concipiatur. Valeat etiam per nos in tantum, quod ib. p. 61. *Schol. 3.* immediatam animae Christi creationem conciliat cum communi, quod Deus post primum sextiduum amplius nihil eorum, quae ad naturae regnum pertinent, immediate creet, sententia. At demonstrationis ipsius rationem expendamus! Hanc autem non nisi unicam, cui tota hypotheseos deducatio nititur, invenimus. Haec vero illa est: quia Author putat fieri ne quidem per omnipotentiam Dei absolutam posse, ut anima ab anima traducatur, & sic etiam anima Christi ab anima Mariæ per traductionem orta sit. Hujus putatae impossibilitatis rationem & praesidium iterum in ea quaerit: quod anima sit ens simplex, quod non nisi in instanti et per creationem ex nihilo oriatur; unde ens simplex unum ex altero orihi nequeat. Ad recepta sibi principia metaphysica pro-

vocat et arguit: Si ex uno ente simplici A. alterum B. debet oriri, alterum B. antea non existens, debet existens fieri e substantia alterius A. Quodsi vero ita (taediosam demonstrationi huius generis consuetam repetitionem spatium verat.) Substantiae A. aliquid decedat, necesse est. Non enim alias ex A erit B. At fieri nequit, ut substantiae entis simplicis aliquid decedat, dum caret partibus extra se inuicem, nec illa in ipso locum habere potest diuisibilitas, utpote quae non est, nisi partium a se inuicem separatio. Concludit hinc: animam Christi ab anima Mariae non potuisse oriri, siue traduci. vid. Psychol. Sacratiss. p. 57. §. 99. conf. Disquis. de stamine H. C. P. I. p. 36. seqq. ubi contra HAGEMANNVM eiusque stricturas in Anonymi Dissert. Theol. Crit. de praeexistentia animae Christi disputans: Impossibilitas, ait, quam defendo, omnem modum, siue cognitum siue incognitum excludit, nec per miraculum quidem, quod per se impossibile est, potest a DEO fieri. Verum is fructus est nimiae fiduciae in noua recentioris Philosophiae inuentata, receptasque nouas veritates & rerum definitiones. Haec autem si fallerent, peccaretne, inde seductus, grauiter in omnipotentiam diuinam, qui illi audacter limites ponit? Concedimus, quod, quae DEO ipsi repugnant, fieri a DEO non possint, se enim secus negaret ipsum. At quis spondebit, hoc vel illud ita impossibile esse, ut DEO ipsi repugnet, adeoque eius omnipotentiae obiectum non sit? Quid si falleret de Spiritu nouus conceptus? quo indigne & abieete satis statuitur tantillum enticulum, ut ad nihilum prope accedat? vnde probatur, spiritum esse ratiadeo minutum, ut cum simplicibus, e materia penitus resoluta redundantibus, eundem admittat conceptum communem & summe genericum? Itane omnes myriadum myriadas animarum, omnes angelos, totumque coelestium fortissimorum, quales Scriptura describit, Spirituum exercitum nullo negotio in auellanae cauitate coagmentabis vnoque halitu iterum in leues auras dissipabis? Peperit is vilissimus de spiritibus conceptus, qui certe precario adsumitur, multos errores, aptaque erit cum temporis progressu, ad labefactandas maximi ponderis veritates revelatas; sed id specialius exponendi hic non est locus. Hoc di-

co

eo, ex incerto conceptu de spiritus & animae natura, quam recentis philosophia clariorem, ac erat olim, haut reddidit, non tuto de spiritu, vel anima aliquid negatur, ad quod affirmandum aliae rationes, eaeque satis praegnantes, inducere tamen possunt. Concedimus, animam esse spiritum, & spiritum esse ens immateriale, & incorporeum (non tamen illum, ut atomum, centies millesima pun. Etuli particella minorem concipimus) at, an anima animam communicare non possit, id, neutquam perspecta animae essentia & quidditate, inter diuersae sententiae patronos aeternum disputari poterit, neutrō alterum conuincente, vtroque certo cognoscendi principio destituto; pariter atque se habet quaestio: num anima corpus suum regere possit & mouere, nam vero minus? nonne DEVS potuit animae, quam, quid sit, & qnid possit, penitus ignoramus, (immaterialitatis enim conceptus quidditatius non nisi negatiuus est) facultatem propagatriem tribuere? Cum Heua ex Adamo crearetur, potuitne DEUS ex Adami anima animam Heuae traducere? Certe, quod de Adamo legitur: *inspiravit DEUS in nares eius spiraculum uitarum Gen. II. 7.* id de creatione Heuae non legitur. Nudumne hoc silentium erit sine causa? Non dicam iam de argumento, pro animarum traductione petito, ex imputatione peccati Adamitici & intima omnium hominum per Adamum facta corruptione, in cuius explicatione mirum quantum se torquent, at incassum prorsus laborant, qui traductionem concedere nolunt. At nenuis probandi CARPOVIANO argumento deesse videtur; convertere enim illud possumus. Negat ille animae CHristi traductionem ex anima Mariae, quia animae Mariae inde decedere aliqua debuisse, quod tamen in ente simplici, partium experte, fieri, ne per omnipotentiam quidem diuinam queat. Miror, Virum doctissimum adeo materiali ratione de ente immateriali sentire; fallitur autem praeterea suo medio termino, qui de monade elementari reūtius forte, quam de anima, quae ens spirituale & intelligens est, valere poterat. Faciamus quoque per A. & B. periculum: Si A. & B. utrumque simplex, partium expers, & indivisibile est; sequitur, vt, si B. debet oriri e substantia A. τω A. nihil decedere aut possit, aut debeat. Partium enim a se inuicem separatio in ente

spirituali non concipitur. A, quod illi decedat, non habet, & B, vt partes ab A accipiatur, non eget. Si ergo anima CHristi B, potuit per dispositionem & facultatem animae Mariae A, a DEO concessam oriri, animae Mariae A, aliquid decessisse, nullo pacto opus est. Contra conceptum de diuisibilitate animae in hoc passu, protestatur, thesin istam: *Quocunque ens est simplex, illud se non potest multiplicare, recte negat, & imputationem: quod animae vim creatricem tribuere debeat, qui eius communicationem defendunt,* declinat contra REINBECKIVM BERTRAMVS l.c.p. 136 seqq. Ergo si aliae non adsunt rationes, quibus traductio animae CHristi negetur, possibilis adhuc illa manebit, nec omnipotentiae DEI repugnabit. Similia, quae ad traductiois conceptum exprimendum solent allegari de igne, flamma, luce, nimis crassa forte erunt subtilli praesentis seculi genio; Posset interim aliquid valere simile desumtum ab idea & cogitatione, quae per voces & litteras communica ta, satis multiplicari, & in aliis enasci potest, citra quod ideae vel cogitationi eius, qui illam communicat, aliquid decedat. Verum quid vltra tertium extenso huic simili possit obuerti, bene intelligo. Totum interim, ex quo animae traductiois possibilitas & actualitas negatur, fundamentum, si verum volamus fateri, redundat ad hoc: Ego non capio, ergo nego! An vero illud sufficiat, videat quiuis, qui vel ad res corporeas, ante oculos nobis versantes, diligentius adtenderit. Fassi semper sunt Theologi, quod modum, quo fieri possit, aut fiat animarum traductio in genere, & in specie traductio animae Christi ab anima Mariae, non capiant & adsequantur; tamen eam, ceu maxime probabilem, certis fidei capitibus, & Scripturae effatis congruam, lubentius quam creatio nem immediatam amplexi fuere.

Et hoc paucis adhuc exponendum est, *quod magis probabiliter theologice, magisque tuto, pariter, ad maius inde capiendum fidei solatum, traductio animae CHristi ab anima Mariae, quam illius immediata creatio adseratur.* Homini enim christiano in quaestionibus problematicis illud potius adserendum est, quod cum veritatibus reuelatis, fideique analogia proxime consentit, quam quod philosophice facilius concipitur. Ut ergo animam CHristi a Mariae ani-

anima desumtam, deriuatam, traductam esse credamus, mouet nos
 illa Scripturae littera, quae CHristum vocat proxime *semen mulieris*, remotius autem *semen Dauidis, semen Abrakae*; quam de-
 nominationem componimus cum dicto Rom. IX. 5. *Ἐκ πατέρων ὁ χριστός, τοῦ κατὰ σάρκα.* Vocabulo *τάρχος* totam CHristi huma-
 nam naturam, qua utramque partem essentialē, notari, negari
 nequit. Ut enim taceamus alia Scripturae loca, e. g. *Io. I. 14.* aper-
 tum est, in hoc ipso commate *diuinae* CHristi naturae relative op-
 ponī *humanam*; ita, ut secundum utramque, quis sit Seruator noster;
 Apostolus doceat; Fieri ergo, nisi sensum *mutilum & incompletum*
 reddere velimus, non potest, ut hoc loco per *carnem* intelligamus
corpus solum CHristi, excluso eo, quod praecipuum est, animā.
 Etenim de humana natura integra praedicatur, quod sit a patribus.
 Ergo, si CHristus secundum integrā suā humanitatem oritur a
 patribus, estque semen Abrahæ & Dauidis; sequitur, ut etiam qua
 animam suam, nobilissimam suae humanitatis partem essentialē,
 originem trahat a patribus. Item, quando CHristus dicitur *semen mulieris*, sensus aliis cogitari nequit, quam quod illa dictione do-
 ceatur: CHristum esse secundum humanam suam naturam *e substantia*
mulieris matris suae; quod, dum Dn. CARPOVIVS de corpo-
 re Christi concedit, quo iure id de anima CHristi negabit? At fe-
 fellit ipsum sua Philosophia, quae tradit: per omnipotentiam DEI
 fieri non posse, ut ex anima Mariae ortum habuerit anima CHri-
 sti. Hypothesi ergo suae indulgens Dn. CARPOVIVS ad obie-
 ctionem ab Erudito Lipsiensi, suam Theol. Dogmaticam recensente,
 formatam ita: *Si statim corporis animaeque suae CHristus non*
accepit a Maria, qua essentiam & substantiam suam e genere Dauidis
non oritur, nec filius eius dici potest &c. respondet: *CHristum iure*
materni generis, stylo scripturae, esse Filium Dauidis; habuisse enim
matrem illam, quae in linea recta a Dauide orta sit. Quod an suf-
 ficiat ad diluendam obiectiōnum, & an conueniat nomini, quo
 CHristus *semen Dauidis, & secundum carnem,* (quam phrasin
 CARPOVIVS in apologia sua plane praeteruidit, quasi momentū
 illa nullum trahat) *e patribus esse dicitur;* id cuius cordato iudican-
 dum committimus. Quamuis ergo Maria orta sit a Dauide, CHri-
 stus

stus tamen, si peregrinam, per immediatam creationem, animam, cum qua Dauidi nullus nexus est, acceperit, a Dauide ortus & in tota sua humanitate, eius filius & e patribus esse, dici nequit. Pariter doctiss. Au^tor, quod e phras: *CHRistus est ρeομένoς εx ψυχaικoς.* Gal. IV. de vtraque essentiali humanitatis CHristi parte, e Maria oriunda, vrgeri poterat, ea ratione occupat, quae illum in theologicis rebus uersantem non decebat. Putat enim, eadem ratione, qua inde probetur, quod *anima CHristi ex Maria sit*, probari quoque posse, quod Filius DEI, *qua diuinam naturam, ex Maria sit.* Verum nemini, nisi propositionum primi generis communicationis idiomatum prorsus ignaro illa forte persuadere poterit; ludere ergo voluisse videtur in re seria.

2) Dimicat pro nostra sententia Pauli effatum Ebr. II. 11.
οἵτε γαρ αὐταὶ ἦν, καὶ οἱ αὐταῖς ομένοι εἴχεν ενος πατέρας. Δι τινὰς ἐπωνυμεῖται αὐτὸς αὐτοῖς καλεῖν. Comp. versum 17.
ὁ δὲ φειλε καὶ πατέρα τοις αὐτοῖς ὅμοια θηγανεῖ &c. Argumentum:
Si CHristus, secundum humanam naturam nobiscum est ex uno,
scil. Adamo, nos vere fratres ex illa causa adpellat, ipseque noster fra-
ter est, conf. Io. XX.17. v. XXII.23. 26. insuper veram fraternitatem
in hoc fundat, quod nobis per omnia similis sit factus; sequitur, vt non
nudo maternitatis iure sit ex Adamo, sed vt naturam suam humanam to-
tam habeat immediate ex Maria, mediate ex Adamo (id quod autem, qua
animam, non per creationem potuit, sed per traductionem debuit fieri).
Nec frater noster, nobisque similis esse posset, nisi & nobiscum
a communi stirpe & origine animam fuisset natus. E formatione
staminis corporis sui ex fluido in ouulo Mariae reperiundo, qua
corpus quidem similis factus nobis esset CHristus, sed qua potio-
rem humanitatis partem, animam nempe, quae nullo cum Adamo
& Patribus nexu cohaereret, sed, ex mente CARPOVII, peculiariter
creata esset, nobis foret dissimillimus, non ergo vere frater.

3) Nisi CHristus & animam e Maria accepisset, noster Satisfactor vicarius esse, difficulter probaretur. Etenim per animam immediate creatam, pro praecipua parte essentiali humanae suae naturae, noster non foret Goët, nec e communi stirpe frater; nexus ergo animae CHristi cum nostris animabus, quae po-

tissimum Goële satisfactore opus habebant, (cum anima nostra sit πρωτὸν δευτέρον peccati) nullus ostendi posset. Quo ergo iure ad nos pertineret satisfactio CHristi? quo respectu & motiuo in se suscepit nostra peccata expianda, nostras ferre voluerit poenas, quale imputationis mutuae fundamentum constituendum? anceps esset quaestio. Pertinet hue maximi momenti axioma: *Quod CHristus uon adsumit, illud non redemit.* Sed non adsumit nostram animam, si adsumit peregrinam per immediatam creationem, Ergo animas nostras redemisse, qua certitudine crederetur? Evidem Dn. CARPOVIVS ipse, locis cit fatetur, quod CHristus, nisi fuerit verus homo, frustra credatur noster esse Vicarius. Fatetur, animam CHristi pertinere potissimum ad naturam & essentiam humanam; Fatetur, CHristum nobis esse per omnia similem ad vsque harmoniam inter animam & corpus praestabilitam: Ad locum tamen HOLLAZII Exam. Theol. P. III. Sect. I. c. 3. qu. 15. p. 86. 87. vbi is ex modo memorato axiomate theologicō necessitatem probat adserendi, quod CHristi anima ab anima Mariae sit adsumta, responder: se concedere, quod veram animam humanam CHristus, adsumere debuerit; at quod animas humanas redimere non potuerit, nisi adsumta sua anima ex anima Mariae, id concedere negat, nec ex allegato axiomate & dicto Ebr. II. 17. 18. id constare contendit. At vero, quam grauiter & serio nostri Theologi illud axioma urgeant, & quanti illud pondoris sit in multorum errorum refutatione, quis est, qui id nesciat? Fiet, speramus, vt Vir Doctissimus, & ingenio acutissimus, cum tempore rectiora videns, mutet sententiam. Bona sane pars illius πληροφοριας, quam fideles in CHristum fratrem & Goclem, eiusque seruidissimum amorem nunc & semper collocamus, consideret, & nostrum e CHristi incarnatione, satisfactione & redemptione capiendum solatium vehementer minueretur, si traductionem animae CHristi ab anima Mariae, velut impossibilem reuidentes, Dn. CARPOVII, de immediata animae CHristi creatione, sententiam adoptaremus. Plura addere nolo, limites Programmati iam prope egressus, nec, quod de purificatione animae, CHristo destinatae, contra illam, quam singit M. CARPOVIVS, difficultatem, dici poterat, hic exponendum esse duco: interim
aper-

apertum ex his esse puto, quod, de traductione animae CHristi,
pia & antiqua sententia, & Scripturae phrasibus adcommodator,
& in seruanda analogia fidei tutior, solatii denique plenior sit, quam
de immediata animae CHristi creatione hypothesis. Vnde huic il-
lam omnino anteferendam esse constabit.

Iam Vos, Cives Optimi! omni quo possum modo, grauiter
hortor moneoque, vt non solum doctrinae coelestis puritatem
vobis habeatis maximopere commendatam, ne qua Vos humana,
at erratica sapientia in transuersum abripiat; sed eam quoque can-
dida fide custodiatis, & vera in DEum, nostrumque Sospitato-
rem IESVM CHRISTVM, pietate mentisque gratitudine sedulo
ornetis. Ad fundandam in animis vestris, amplificandamque salu-
tarem de incarnatione redeantoris vestri, Filii DEI, doctrinam,
id praecipue hoc maximo Feste agite, vt in templis publicos ser-
mones sacros pie & reuerenter auscultetis, meditatione matura
ruminetis, mysterium amoris & sapientiae DEI, in exhibendo
tanto Goële & redemptore, intimius perspiciatis, fidemque con-
tra legis maledictionem, conscientiae dolorem, diaboli tentatio-
nem mortisque & inferni terrorem bene solideque corroboretis.
Omnis enim solatii, omnis spei, omnis quietis & gaudii funda-
mentum pariter ac centrum est in IESV & eius salvifica cognitione.
At & Patri coelesti, qui filium pro vobis vnigenitum dedit, cultum
praestate ingenuum & sanctum, hymnis, laudibus, precibusque tam
priuatis quam publicis. Gratias agite IEsulo dulcissimo, quod
humilem miseramque carnis nostraे seruilem formam induendo,
qua vti potuisset, gloria, se abdicare non detrectauerit. Reddite
vos illi, qui se vobis prius dedit, caueteque, ne fructus meritii
CHristi propria vestra aut socordia aut impietate, vobis pereat.
Nolite contrastare sanctissimum, qui IEsum, & in illo capite, vos
membra, largiter vnxit Spiritum! Nolite profanare hoc sanctum
tempus iurgiis, comedationibus, disfertationibus & clamoribus
nocturnis. Sed in Domino & Spiritu gaudete! ambulate ceu filii
lucis, vocemque & corda DEO sacrate, laetaque hac Sal-
uatoris Vestri natali die cum angelis cantate: *Gloria in
excelsis DEO, pax in terris, O hominibus benelacitum,*

P. P. SVR SIGILLO RECTORIS

1. 1. SVE SIGILLO RECUTORI
ihs. Exiis natalibus gloriari.

P. P. SVB SIGILLO RECTORALI

ipsis Feriis natalibus cœcilexli.

tissimum Goële satisfactore opus habebant, (cum animis peccatorum dexterorum peccati) nullus ostendi posset. Quo nos pertineret satisfactio Christi? quo respectu & nos suscepit nostra peccata expianda, nostras ferre voluimus quale imputationis mutuae fundamentum constituendum esset quaestio. Pertinet hue maximi momenti axis Christus uon adsumfit, illud non redemit. Sed non fratrem animam, si adsumfit peregrinam per immediatam Ergo animas nostras redemisse, qua certitudine Evidem Dn. CARPOVIVS ipse, locis cit fatetur, sicut, nisi fuerit verus homo, frustra credatur noster us. Fatetur, animam Christi pertinere potissimum aessentiam humanam; Fatetur, Christum nobis esse similem ad usque harmoniam inter animam & corpus tam: Ad locum tamen HOLLAZII Exam. Theol. P. c. 3. qu. 15. p. 86. 87. vbi is ex modo memorato axiologico necessitatem probat adserendi, quod Christi anima Mariae sit adsumta, responder: se concedere, quod animam humanam Christus, adsumere debuerit; at quod animas redimere non potuerit, nisi adsumta sua anima ex riae, id concedere negat, nec ex allegato axiomate II. 17. 18. id constare contendit. At vero, quam genio nostri Theologi illud axioma urgeant, & quantis sit in multorum errorum refutatione, quis est, qui Fiet, speramus, ut Vir Doctissimus, & ingenio acutius tempore rectiora videns, mutet sententiam. Bona lius πληροφοριας, quam fideles in Christum fratrem eiusque feruidissimum amorem nunc & semper collaudiceret, & nostrum e Christi incarnatione, satisfactione capiendum solatium vehementer minueret. Etionem animae Christi ab anima Mariae, velut imminentes, Dn. CARPOVII, de immediata animatione, sententiam adoptaremus. Plura addere nolo grammatis iam prope egressus, nec, quod de purificatione Christi destinatae, contra illam, quam singit M. difficultatem, dici poterat, hic exponendum esse.



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Patch Reference numbers on UTT Serial No. 0113